

dictum Monasterium. absque aliquo onere contradictionis qualibet heredum vel successorum suorum penitus non obstante. Predicta sententia vero lata fuit et ex ea aput predictum Castellatum predicta conventio subsequuta ut dictus Episcopus haberet colorem et titulum tenendi et possidendi predicta omnia bona contra heredes domini Galgani de marra. qui Ius Emfiteoticum se habere dicebant. in dictis Bonis. ex concessione dicto domino Galgano et suis heredibus facta. ab antecessore dicti abbatis. et quod non obstaret dicto Episcopo Constitucio dicti domini legati facta aput Melfiam de Rebus Ecclesie non alienandis. Unde confidens idem abbas de predictis pactis privatis asserebat de non multum Institisse defensioni Iudicali coram dicto domino Botontino Episcopo. qui predictam sententiam tulit. obmictens ipse abbas exceptiones et defensiones. quibus se defendere poterat contra dictum melfitensem Episcopum. nec etiam appellare curavit a sententia memorata. securus quod non sententia sed dicta pacta privata. Inter eos servari debebant et appodissa prenominata. facta fuit non ut rei veritatem ostenderet. sed ut coloraret predictam simulatam conventionem. ne propenderetur aliqualiter de simulatione ipsius. et ipse Episcopus esset securior de possessione predictorum bonorum. Ita quod de predicta convencione cautele faciende erant. expensis dicti Episcopi. dictam simulationem procurantis. non aput Castellatum predictum sed apud melfictam. ubi predicta conventio facta non fuit. sed in Casali superius nominato. Et nichilominus si dicta sententia vera et servanda fuisset tamen tantum preceperat dictus Episcopus preter dictam sententiam. de proventibus dictorum bonorum usque ad diem presentem. quod quasi parum restabat satisfacere de quantitate contenta in sententia predicta. Maxime cum ante eandem sententiam usufructasset continue dictus Episcopus dicta bona pro expensis dictae Recuperationis de manu curie ab Anno duodecime